





1619, 5

33

Iova Feliciter Prosperante
DISPUTATIO JURIDICA.
De
JURE MINORUM

Ex
TIT. IV. LIB. IV. D.
in primis depromta

Quam

Permissu Amplissimæ Facultatis Juridicæ

SUB PRAESIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi Dni.

GUILHELMI SCHMUCCI

J. U. D. & Prof. publ.

In incluta Philuræa.

Publici exercitii gratia ad diem XIX. Augusti ventilandam proponis

JOHANNES Frenstein Pirnâ-Misnicus,

ANNO

∞ I O C XIX.

D 39



THE MINORUM

THE MINORUM
OF THE
MINORUM

OF THE





DISPUTATIO JURIDICA.

De

JURE MINORUM.

THESIS I.

Cum secundum mentem Ulpiani (in l. 1. pr. ff. d. min.) constet, fragile & infirmum minorum esse, judicium, multorumq; insidiis expositum, Prætor æquitatis Judex auxilium meritò ijs pollicetur, & adversus captiones opem. d. l. 1. pr.

II.

Etenim si res suas minùs sobriè administraverint, aut quoquo modo ab aliis circumventi fuerint, restitutionem in integrum ad 20. usq; annum ijs indulget. d. l. 1. pr. §. 2. l. 2. l. 3. hic l. fin. C. d. temp. & repar. appell.

III.

Potest autem hæc non incommode definiri, Quod sit auxilium Juris Prætorij extraordinarium, quo minor ob detrimentum, et atis imprudentiã, aut dolosã adversarij machinatione acceptum, adversus id quod damnosè gessit, implorato judicis officio, & causã cognitã, in integrum jus suum, quod ante habuit, reponitur. d. l. 1. pr. l. in causa 16. arg. l. quod si 24. l. illud 25. §. 1. ff. h. t. l. omnes 3. ff. d. in integ. restit. l. 2. C. si adversus visc. c. requisivit ext. d. in integ. rest.

IV.

Minorem autem natum accipimus eum qui vigesimum

A 2

mum

mum quintum annum nondum omnimodò adimplevit.
arg. l. 1. §. apparet ff. h. t.

V.
Quamvis de Jure Saxonico, quo his in provincijs
utimur, is qui vigesimum primum annum exegit, justæ
ætatis habeatur. Landrecht l. 1. art. 23. & art. 42. Lehrecht c. 26.

VI.
Adeo ut hoc in casu tempus à momento in mo-
mentum spectemus, & tunc quoq; hoc remedio minori
subveniat, ut si ipso die natali, aut ultimâ horâ qua
ad complementum anni vigesimi quinti deest, circum-
ventus fuerit l. 3. §. minorem ff. d. minor. Duar. ad l. 7. hic

VII.
Quid ergò, si quis anno intercalari, vel certò ipso
die intercalari natus fuerit, & questio de ætate movea-
tur eo anno, qui intercalaris non est, ut hoc in casu, ubi de
vigesimo quinto anno agitur, an diei intercalaris, qui &
bissextus dicitur, ratio haberi debeat. à D. D. hic con-
trovertitur, nos (cum Ulp. in l. 3 §. minorem 3. h. t.) hoc nega-
mus, cum secundum celsum in l. 98. ff. de v. s. ex mente Cato-
nis, mensis intercalaris sit addititius, omnesq; ejus dies
pro momento temporis observentur. d. l. 98. ff. d. v. s.

VIII.
Restituitur autem minor, sive pater sit, sive filius-
familias, masculus sive fœmina, dum modò ipsius inter-
sit restitui. l. 3 §. sed utrum §. ergò etiam & §. si quid ff. h. t.

IX.
Servi tamen minores non restituuntur: Quoniam,
Domini

Domini tantum cui acquiritur, persona spectanda est.

l. 3. §. Servus ff. h. t. l. non minus 31. ff. d. hered. inst. l. debitor. 82. §. Servo ff. d. leg. 2.

X.

Ceterum quoniam edicit Prætor, in ijs, quæ gesta sunt cum minore, restitutionem in integrum indulgendam esse. Gestum accipimus pro quovis contractu, aut alio actu quocungq³ l. 7. pr. h. t. l. 1. §. 2. ff. quæ in fraud. cred. l. 2. §. gestum ff. ad municip.

XI.

Sive societatem coierit, mutuam pecuniam acceperit, rem majori precio emerit, alterive in arrogationem se dederit; Si damnosam sibi novationem fecerit, forte ab idoneo ad inopem novandi animo obligationem transferens, aut sine ratione debitori acceptum tulerit, simileve quid fecerit, quod ipsi detrimento cessit. l. 7. §. 1. l. 27. §. si pecuniam §. si minor & §. ex hoc intelligimus l. 3. §. 6. l. minor. 40. ff. h. t.

XII.

Ita, ut etiam si minor juramento confirmasset, se contra hosce contractus nihil omnino facturum, Et tamen de beneficio sibi competente nunquam omnino fuisset præmonitus, non obstante tale juramento (cum id non trahatur ad incognita l. ult. qui satisfacere cogunt.) restitutionem petere posset l. 1. & l. 5. C. d. L. L. c. quamvis ext. d. pact. c. animadvertendum 22. q. 2.

XIII.

Sed adversus emptionem restitutus minor, an fructus etiam venditori, qui in ejus utilitatem versi non probantur ab adversario, restituere cogatur, parum

A 3 expediti

expediti Juris est articulus: Nos eorum qui negativam sequuntur, veriore opinionem putaverimus. per l. 27. §. 1. l. 47. in fin. ff. h. t. l. 32. §. 4. ff. d. admin. tut. arg. l. 7. & 8. ff. qua in fraud. cred.

XIV.

Contra testamentum verò restitutionis subsidio minori succurri haud est quod affirmemus, per l. verba 20. ff. d. V. §. l. à qua etate ff. qui test. facere poss.

XV.

Neg. in causa matrimonii, puta si Juvenis minoris edentulam fortè vetulam duxerit restitutionis locum esse putamus, per l. Sancimus 24 C. d. nupt. arg. l. in copulandis §. C. eod. §. d. illis 9. ext. d. despons. in pub. vide in non ab simili D. Luth. com. 5. Jenensi von Ehesachen / f. 241.

XVI.

Cum verò Jure cautum sit, minori non tantum in damno sibi dato, sed & in lucro omissio succurri l. 7. §. 6. hic l. §. C. d. in integ. rest. l. 44. ff. d. minor. l. 1. & 2. C. si ut omiſs hered.

XVII.

Ideò si id quod ei legatum fuerat inconsultò repudiaverit, si optione legata rem deteriore elegerit, aut alternativè obstrictus, id quod preciosius erat solverit. l. 3. §. 7. l. 7. §. 6. & 7. hic.

XIIX.

Sic si hereditatem locupletam repudiaverit, ut de nuò ad eam admittatur, aut si minus lucrosam adierit, ut abstinendi seu repudiandi facultatem habeat; Praetorio hoc beneficio juvabitur. l. ait Praetor 7. §. 5. & § Restitutus h. t. l. 1. C. si ut omiſs. hered. l. 1. C. si tutor vel curator intery.

Quamvis

XIX.

Quamvis jura alias ad hereditatem omiffam vel repudiatam regressum denegent. l. sicut 4. C. d. rep. vel abst. her.

XX.

Quod tamen re adhuc integra accipiendum esse Scævola docet. l. quod si 24. §. Scævola ff. h. t. Facit l. 8. ff. d. jure deliber.

XXI.

Etenim, si post repudiatam à minore hereditatem, substitutus eam distraxerit ac litibus, negotiisq; sopitis rem eò diduxerit, ut citra molestias arisq; alieni timorem, talem hereditatem pacatè habere liceat, hoc casu deneganda minori restitutio erit: Audiendus enim non est, qui ut vultur alieno cadaveri insidens, paratam laboribus substituti pecuniam aspirat. Arg. l. fin. §. s. v. non autem C. d. bonis qua liberis l. 8. ff. de jure deliber.

XXII.

Fidejussorio quoq; nomine, si se, vel res suas, pro alio obligaverit minor, restitutioni locum esse, nullo distinctionis admissio moderamine ex mente Ulpiani asserimus, l. ait Prator 7. §. non solum l. 1. C. d. filios. min.

XXIII.

Delictorum impunitatem quia nemo sperare debet, ideò in his Pratoris beneficium opitulari minoribus non debet: Indigni enim sunt legis auxilio, qui in eum delinquant, animiq; infirmitas, malorum mores non excusat. l. si ex causa 9. §. nunc videndum l. auxilium 37. ff. h. t. r. C. si adv. delictum.

Pœnæ

XXIV.

Pœna tamen asperitatem ob ætatis commiserationem illis remitti verius est. l. auxilium 37. §. 1. v. nisi quatenus ff. h. t. l. 16. §. 3. in fin. ff. d. pœnis. l. Ferè 108. ff. d. R. J. l. 1. §. 32 ff. d. S. C. Syllan. c. 1. ext. d. delictis pueror. c. fin. ext. d. sententia excommun.

XXV.

Quod si minor sit confessus delictum, de quo aliàs non constabat, restitui eum adhuc debere communiter sentiunt p. l. certum 6. §. In pupillo ff. d. confess. gl. in c. 2. in verbo confessionem d. restit. in integ. in Sexto Jas ad l. Error 7 C. d. Juris & facti ignor. n. 10. Mynsingerus cent. 3. observ. 81 in fin. Nos verò cum ijs facimus, qui distinguunt, utrum metu vel errore facta fuerit confessio, an sponte: ut si sponte, deneganda sit ei restitutio cum Bart. ad l. 37. h. t. Bl. in l. un. C. d. confess. Si verò metu vel errore admittenda. Arg. l. 1. C. si advers. delict. junct. l. cum principalis 178. ff. d. R. J. c. accessorium d. R. J. in 6.

XXVI.

Porro notatu non indigna quæstio est, si contractus in adolescentia quidem celebrari captus, post perfectam verò dum ætatem adimpleatur; Puta, si minor prædium vendat, ejus autem traditionem ad vigesimum sextum, usq; annum, aut ulterius, differat, initiumne an finem contractus spectabimus? Et finem intuendum esse perspicuè ulp. docet. Ita ut restitutionis subsidio amplius non sit locus. l. 3. §. 1. arg. l. 1. & 2. C. si major fact. rem rat. hab.

XXVII.

Idq; non solum in contractibus, sed & quasi contractibus obtinere jure decisum reperitur, nam si litem
minor

minor suscipiat, sententia autem in majorem proferatur, res judicata Praetorio hoc remedio non retractabitur. l. 3. §. si quis cum ff. h. t. l. 1. C. si advers. rem Jud. l. si optione 10. ff. ad exhib.

XXIIX.

Nisi de dolo & fraudulentâ adversarij machinatione evidenter appareat, eum nimirum in sui gratiam litem tam diu protulisse, ut illo majore facto liberaretur, victorq; evaderet l. 3. §. Celsus ff. h. l. 1. C. si advers. rem Jud. l. si optione ff. ad exhib.

XXIX.

An verò cesset restitutio, si alia via ordinaria minor se tueri posset, variè hinc inde per interpretes discutitur. Eorum tamen opinio nobis magis arridet, qui ordinario remedio extraordinarium non per omnia excludi asserunt l. 3. & l. fin. Si tut. vel curat. interv. arg. l. Aemilius 38 ff. h. c.

XXX.

Pro impetranda restitutione minori erit probandum, se minorem & tempore negotii gesti fuisse, & lesum circumscriptumq; se esse l. minor 32. l. de atat. 43. l. non omnia 44. ff. h. c. l. si minor 4. C. d. in integr. restit. l. 2 & ult. C. si minor se maj. esse dixerit l. 9. C. d. prob. l. Minorib. 5. C. d. in integr. restit. l. verum u. §. sciendum l. 7. §. non solum ff. h. t.

XXXI.

Sicuti etiam docere tenetur, se esse adhuc intra id tempus constitutum, quo restitutio peti possit. c. constitutus d. in integr. restit.

XXXII.

Quamvis non indistinctè & semper ea qua cum
B minoribus

minoribus gesta sunt rescindantur, ne nimirum ijs quodammodo commercium interdicator, nemine cum his contrahere volente, l. quod si 24. §. non semper h. t.

XXXIII.

Sedeatantum, in quibus est manifesta circumscrip-
ptio, quæq; alicujus sunt momenti, irrita fieri debent, mo-
dicum enim non curat Prætor, atq; hoc est quod causa
cognitâ restitutionem decernendam esse dicit l. 24. §. no^m
semper l. 11. §. Sciendum ff. d. minorib. l. scio 4. ff. d. in integr. rest. l. 9. ff. d. do^l
lo l. si tamen §. ult. ff. d. edil. edict.

XXXIV.

Unde sequitur, in ijs multò magis hoc beneficium
cessare, quæ fato, et casu fortuito evenire solent. Nec
enim eventus damni restitutionem indulget, sed in con-
sulta facilitas & quod fato contingit, etiam prudentissi-
mo & diligentissimo patris. contingere potest. l. verum 11. §.
Item non restituetur ff. h. t. l. 1. C. Qui & advers. qual. 3. ff. d. in integ. restit. l.
cum duobus § 2. §. damno ff. pro socio l. 5. C. d. pign. act.

XXXV.

Sed nec contra quemlibet quoq; minores restituun-
tur: Etenim si agatur contra eum, qui nec ipse justam
adhuc atatem consecutus est, restitutionem silere Juris
est notissimi; Nisi evidens ratio contrarium suadeat.
l. verum 11. §. Item, queritur l. 34. ff. d. minor.

XXXVI.

Put a si minor cum filiof. majore contraxerit? quo-
rum hic S. C. Macedonianum, alter verò atatis benefi-
um habet, fortius erit atatis quam S. C. Macedoniani
privilegium, proindeq; minor restituendus l. 11. §. fin. l. 3. §. 2.
ff. ad S. C. Maced. l. 9. pr. ff. d. Juris & fact. ign. Neg.

B

XXXVII.

Neg. restituitur minor contra parentes, patronum, vel patronam, hac enim personarum reverentia omnem ei adimit restitutionem. Arg. l. 27. § ult. h. i. l. ult. C. qui & adver. quos rest. argt. l. 11. §. 1. ff. d. dolo mal.

XXXVIII.

Ita & adversus libertatem minoribus subveniri Prætori est impossibile. l. 9. in fin. h. t. l. minor 48. §. minor ff. h. t. l. 1. & t. t. C. si advers. libert.

XXXIX.

Neg. restitutio in integrum conceditur minori si se ipsum sponte ad participandum precium in servitutum venire passus est, ignorante emptore, eum liberum esse, bonaq. fide emente. l. 9. §. 4. h. i. l. 21. ff. d. statu hom.

XL.

Nec etiam minor erit restituendus, qui postulat à restitutione uti non vult, cum unicuique liceat contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt. l. si Judex 41. l. pen. C. d. pactis.

XLI.

Effectus restitutionis est, quod uterq. litigantium integrum jus suum per eam recipiat, in eumq. omninò reponatur status, in quo ante lesionem fuerit. l. 24. §. pen. l. 39. §. vendentibus l. 20. §. fin. l. 47. §. fin. h.

XLII.

Nec enim subveniendum est minoribus, ut ex aliorum detrimento & incommodo utilitatem sentiant. Arg. l. 39. §. fin. h. i.

XLIII.

Cessat seu extinguitur restitutio, si quadriennium
B 2 *hujus*

hujus remedij petitioni praefixum praeterire passus fuerit minor. l. 7. super vacuum ult. C. d. temp. in integ. restit. argt. l. Papinianus 20 §. Si quis h. t.

XLIV.

Cum haectenus de Jure minorum satis dictum fuerit, coronidis loco nunc & similia assignanda esse censemus. Ubi sciendum 1. *Minoribus non esse ab similem Rempublicam.* Arg. l. 22. ff. ex quibus caus. maj. l. 4. C. eod. l. 3 C. d. Jur. Reip. l. 9 ff. d. app.

XLV.

Id quod etiam ad civitates liberas imperij, superiorem praeter Imperatorem non cognoscentes, extendendum esse putamus. Arg. l. 13. §. 1. ff. d. Publ. & veftig. l. 9. ff. d. Jud. arg. l. legatis 8. ff. ex quibus caus. maj.

XLVI.

2. *Et quae diximus de Rep. quod illa non sit ab similis minori, eadem per extensionem sunt intelligenda de Ecclesia* c. 1. & 3. ex d. restit. in integr.

XLVII.

3. *Idem etiam extendi poterit ad prodigum, qui adulto curatorem habenti equiparatur.* Arg. l. his qui 12. §. fin. ff. d. tut. & curat. gl. in l. 2. C. d. curat. furio. (quae dicit omnia privilegia, quae d. Jure competunt minoribus, competunt etiam prodigis) l. 3. C. d. in integ. restit. §. 8. §. 11. l. 11. ff. d. reb. eor.

XLIX.

Qui tamen hoc beneficium implorare non potest adversus gesta ante bonorum interdictionem, etiam si notorie sit prodigus, & immoderate expendat patrimonium. l. 1. & per tot. ff. d. curat. furios. l. 1. C. eod. l. is cui 18. ff. qui test. fac. poss.

4. Et

4. Et tandem generaliter illud extendi potest ad omnes illos, qui bonorum suorum administrationem non habent, ut furiosi, & similes l. 3. C. d. integ. rest. l. 5. ff. d. R. 7.



ORNATISS^{mo} ET DOCTISS^{mo}
Dno. Respondenti

REFSTEINI tua res agitur. modò munera Divæ
Ingenii locuplete penu congesta Themistos
Profer in apricum, quando subeunda Palæstræ
Juridicæ censura tibi, per lemmata docta
Vindicias exercenti *pro Jure minorum.*
Prima *VVitembergæ* pridem præludia laudes
Commeruere suas, ubi par fuit alea jacta:
Nunc & *Atheneo* huic tua, fac, doctrina probetur.
Præmia digna tuis *Astræa* laboribus olim
Spondet, ubi Patris vestigia nota prementem
Inferet ordinibus doctorum ex asse virorum.

Amicè acclamat

Christianus Repscheras.



SOle nimis nimio cum jam possessa flagraret
Torva Cleonæi fideris illa juba,
Egredior gelidas *PLISNÆ* prope fluminis oras,
Languidulas vires vivificare ratus:

B 3

Hinc

Hinc ut floridulis confido lassus in herbis,
Et jam flava meos tangit arena pedes;
Omnia dum lustro, mediam ripæ inter arenam
Promicat excellens ecce nitore lapis,
Hæreo dum vidi obtutu defixus in uno,
Paulatim *lapis* hic undiq; liber erat,
Segregus à reliquis exurgens inde lapillis,
Obveniens visu clarior usq; meo.
Eximium miror splendorem, adamantis honores
Vincentem, qualem non tulit ante locus.
Tollere humi mens est; sublatum conspicio: & tunc
Verba deauratis talia visa notis:
CURA MINORENNIS PUPILLI maxima, multùm
Felices quibus hæc maxima cura subit.
Hinc dubiâ, quid verba velint, dum mente revolveo,
Obvius Atlantis fit mihi fortè nepos.
Quæsieram causas: interpret at ille Deorum
Consciis optanti singula quæq; refert.
Quem lapidem cernis, tuus est FREYSTEINIUS, ille
JURIS humi surgens *alta* subindè petit;
Leucoreæ veles primùm qui visus arena,
Dum grave *servitii* discutiebat *onus*,
Nunc *Philuræ armatus* pro JURE MINORUM
Æquando pugnam, quâ decet arte, gravem;
utq; refert genii, sic ingeniîq; parentem
usq; referre suum dexteritate studet.
Ne dubites, hæc quæ modò quod sint vera feruntur,
Huc passim doctos convoco præco viros.
Dixerat: & subito corpus per inania librans,
Sese conspectu subtrahit ille meo.

Hinc




Hinc lætabundis mihi quod data nosse futura,
Talibus acclamo, *Sympatriota*, Tibi.
Exere virtutes adamantis, & usq; resiste,
Pestiferas causas suppeditante foro:
Somnia triconum terrentia pelle venena,
Arte tuum referes sic & honore patrem.

Animitus congratular

Jeremias Pietzsch Pirnâ-Misnicu.

F I N I S.





10
UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT
LIBRARY
MAGDEBURG







Leipzig, Diss., 1593/1613

ULB Halle
004 954 793


3



V.17








B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



nte
DICA.

RUM

D.

Juridicæ

O
Dni.

UCCI

entilandam proponis
Misnicus,

1619, 5

33

